



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Archicancellariis Sacri Romani Imperii Ac Cancellariis
Imperialis Aviae**

Mallinckrodt, Bernhard von

Monasteri[i] Westphaliae, 1640

Wilhemvs Hollandus Imp.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11835

*Henricus
de Catalo-
niâ Episco-
pus Bam-
bergensis.*

Inter Notarios huius Principis numeratur *Henricus de Catalonia*, qui à Pontifice, seu verius, si in anno introitū mendum non sit, à Collegio Cardinalium constitutus est Bambergensis Episcopus an. 1242; qui totus inter regno isti includitur, quod post Cœlestini IV obitum, Innocentij IV Pontificatum præcessit. Praesertim, ut Bruschius scribit, annis quindecim, moriturque an. 1257. Forte hic sit idem ille, qui apud *Gretserum de munific. Princip. pag. 46*, in Friderici II literis, an. 1219 datis, Regalis aulae Protonotarius dicitur.

Sub Henrico Hassia & Thuringia Landgrauio, qui in locum Friderici, à Papa Imperio exuti, electus fuit; & sub Conrado quarto, Friderici filio, an. v-nus plurēsve Cancellarij, & quinam illi fuerint, inter incompta numero.

WILHELMVS Hollandus Imp.

*Henricus
Episcopus
Spirensis.*

*Lubbertus
Abbas
Egmonda-
nus.*

Henricus Comes Leiningensis, Spirensis Episcopus, Cancellarium administravit, vt auctor est Bruschius, in *Episcoporum Catalogo*, sub Wilhelmo; cui se, nouiter aggredienti Imperij curam, addixit an. 1249, vt Leheman scribit in *Chron. Spir. pag. 608*. Donauit illum postmodū, in compensam fidelium seruitiorum, arce Kisloviensi, cum attinentijs suis. Idem Henricus, Wilhelmo mortuo, cum Episcopo Constantiensi, & S. Galli Abate Legatus in Hispaniam iuit, Alphonso regi Castellæ, in schismate in Imp. electo, nuntium nouæ dignitatis publico nomine latus; rediitque amplissimis muneribus, æquè ac Collegæ, remuneratus. *Idem Lehem.* Vice-Cancellarium Imperialis aulae, sub eodem Wilhelmo, gessit Lubbertus, Abbas Egmondanus in Hollandiâ, vt scribit *Ioan. Gerbrandus*, dictus de Leidis, lib. 23 *Chron. Belg. cap. 9*; vbi virum maturum & egregium vocat; & ex illo Opmeerus in *Chronograph. pag. 656*, *Colon. edit.* Idem Gerbrandus refert Wilhelmi Imp. epistolam, ad hunc Vice-Cancellarium suum, post redditum ex Italia (iuerat enim secretò ac incognitus, paucis comitatus, Genuam ad Innocentium IV) datam, de honorificâ sui in superiore Germaniâ receptione, lib. 23, cap. 28.

RICHARDVS Imp. electus.

IN Wilhelmi à Frisijs (hodie sunt Hollandi Boreales) cæsi locum, discrepantia Procerum vota, cum ynis sufficeret, duos legerunt, *Alphonsum Hispaniæ Regem*; studijs Astronomicis quam rebus in Imperio gestis notiorum;

3011